

nus ergo Pastoris Ecclesiae est quoque authentice docere. Porro magisterium huius Pastoris universa Ecclesia sequi tenetur; omnes enim vel simul sumpti subsunt et obedire tenentur Pastori supremo universali immediato. Scilicet magisterium Romani Pontificis est magisterium supremum universale. Atqui huiusmodi magisterium est infallibile. Cur enim Ecclesia infallibilis creditur, nisi quia ex lege Dei tenentur omnes credere fide divina quod ipsa proponit? fidei autem divinae nequit subesse falsum. At universa Ecclesia debet sequi magisterium Romani Pontificis, quia debet obedire Pastori suo: ergo.

Habet autem Romanus Pontifex ius et officium pascendi immediate a Christo, et independenter prorsus ab Ecclesia, quae pascenda ab ipso est, non pascit eum; actus proinde suae potestatis valorem habent independenter a consensu Ecclesiae; igitur et magisterium suum vim obligandi habet universam Ecclesiam et irrefragabile est citra consensum Ecclesiae: ergo.

II. Idem doctrinae caput probandum est perpetua universalis Ecclesiae testificatione sive theoretice, sive practice manifestata. Fieri nequit ut omnia, quae in hanc rem afferri possent, afferamus, sed evidentiora et illustriora seligemus. Ipse Tournely (De Rom. Pontif. Q. V. a. 3.) ingenue fatetur, « non dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus et alii congerunt non recognoscere Apostolicae Sedis seu Romanae Ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem: at longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione cleri Gallicani, a qua recedere nobis non permittitur (propter libertates scilicet gallicanas) ». Omissa continua recitatione testimoniorum, Ecclesiae apertissimum sensum et doctrinam per ea quae sequuntur in luce collocabimus.

A) Certum est hoc ius viguisse semper in Romano Pontifice ut «quoties fidei ratio ventilatur ad Petrum Episcopi, id est sui nominis et honoris auctorem referre deberent», ita ait Innocentius I ad Patres Milevitanos. Id plures alii tum explicite testantur, ut Cyrillus Alex. scribens ad Caelestinum de causa Nestorii inquit: «Quoniam vetus consuetudo Ecclesiarum suadet ut eiusmodi res sanctitati tuae communicentur», tum implicite cum docent causas maiores, inter quas certe est causa fidei, ad Sedem Apostolicam deferendas esse, ut «ipsius secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur», ut loquitur Leo M. epist. ad metropolitanus Illyrici. «Interroga (ait Fernandus diaconus Chartag. epist. ad Severum n. 1.) vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicae Sedis antistitem, cuius sana doctrina constat iudicio veritatis, et fulcitur munimine veritatis». Hanc praerogativam Romani Pontificis et Prin-

cipes cognoverunt; sic enim Iustinianus epist. ad Ioannem II (exstat in Cod. sub titulo de S. Trinitate): «Omnia quae ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestrae Apostolicae Sedis et statutum Sanctarum Ecclesiarum Dei custodire.... Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statutum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati, quae caput est omnium Ecclesiarum». Refert deinde de quibusdam haereticis quibus catholicam opponit doctrinam, concluditque: «Petimus ergo vestrum paternum affectum ut vestris ad nos destinatis litteris... manifestum nobis faciatis quod omnes qui praedicta recte sentiunt, suscipit sanctitas vestra, et eorum qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam». Id et in libris Carolinis (L. I, c. 6.) testatum legimus: «Ecclesiam Romanam ceteris Ecclesiis a Domino praelatam a fidelibus consulendam esse... ut ab ea post Christum ad munendam fidem adiutorium petant: eamque non habentem maculam nec rugam et portentosa haeresum capita calcare, et fidelium mentes in fide corroborare». Id et haeretici testati sunt, ex quibus Pelagius in libello fidei Romanae Sedi oblato (in dissertatione V Garnerii ad 1^{am} partem operum M. Mercatoris): «Haec est fides, pater beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minus perite aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri fidem et Sedem tenes. Sin autem haec nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum vel malevolum vel etiam non catholicum, non me haereticum comprobabit». Istud nimirum est quod aiebat S. Bernardus ad Innocentium II epist. 190: «Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego per te rogavi Petre ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium». Et sane id approbante Synodo Lugdunensi II. Graeci professi sunt, quod «sicut (Romanus Pontifex) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri». Quocirca Card. Bessarion ad graecos ait in epist. generali (vide opuscula theologica quorundam graecorum edita a Petro Arcudio): «Percurrite volumina, si accurate perpenderitis, Ecclesiam Romanam reperietis supra omnes statim ab initio

habere principatum, et adeo universae Ecclesiae praeesse, ut sine ea nihil omnino ecclesiasticarum quaestionum ac dogmatum aliquando conclusum creditumque sit». Iam vero *definire causas iudicio*, vel, ut ait Leo, *finire sententia*, est eas peremptoria et irreformabili sententia absolvere. Itaque 1) ius perpetuum et praxis iuri conformis viguit ut causae fidei ad Sedem Apostolicam deferrentur: 2) finis cur deferrentur is erat, ut nempe suo iudicio finirentur: 3) ratio cur ad Romanum Pontificem pro hoc consequendo fine causae eae deferrentur, is erat quia haec est praerogativa Apostolicae Sedis ut *ibi fides non possit sentire defectum*, quia *Petrus nominis et honoris Episcoporum est auctor*, quia Romanus Pontifex *Petri et fidem et sedem tenet*; quae ratio est prorsus catholica, et ideo ab haeretico, qui latere volebat, usurpata. Atqui praedicatio huiusmodi iuris, eiusque perpetua praxis est aperta et constans professio infallibilitatis Romani Pontificis, quam ex sese ipse possideat. Etenim id ut intelligamus exigit finis, propter quem causae fidei ad Romani Pontificis iudicium deferebantur; causae enim fidei finiri non possunt nisi infallibili sententia: id postulat quoque adducta ratio propter quam ad ipsum speciatim deferebantur; infallibilis enim sit oportet is cuius fides non potest sentire defectum. Quod et alia formula significatur, quae adeo frequens est Patribus, qui fidem et doctrinam Romani Pontificis fidem et doctrinam nuncupant Petri, Petrumque aiunt loqui per Romanum Pontificem. Quid enim significatur cum dicitur: Fides Petri? Profecto cum dicitur Apostolorum fides, eo ipso significatur fides immunis ab errore; non enim universa Ecclesia aliam fidem profitetur quam Apostolicam. Idem porro significatur cum dicitur fides Petri; non enim pariter aliam fidem Ecclesia profitetur praeter eam quam Petrus et cum eo consentientes (Cf. Th. III) Apostoli docuerunt. Fides ergo Petri est fides, cui error subesse non potest. Quid est autem Romanum Pontificem tenere fidem et Sedem Petri? Nempe fides Petri perseverare semper debuit in Ecclesia: cum autem dicitur Romanus Pontifex tenere fidem et Sedem Petri, significatur 1) quod eam fidem certe habet Romanus Pontifex, sicut cum dicitur Ecclesia tenere fidem Apostolorum, significatur quod eadem est fides Ecclesiae et Apostolorum; habet autem 2) hereditario iure successionis, habet enim quia est Romanus Pontifex, h. e. quia tenet Sedem Petri; habet proinde 3) eo iure quo habebatur ab ipso Petro; hoc enim proprium est successorum ut eodem iure quo decessor haereditatem possideant: habet idcirco 4) perpetuo et inamovibiliter. Fides ergo Petri, seu praedicatio et magisterium Petri, atque doctrina ab ipso Petro tradita, eadem perseverat iugiter in cathedra Petri: sicut ergo praedicatio Petri infallibilis fuit, et do-

ctrina ab eo tradita non nisi veritas erat; ita et praedicatio et doctrina Romani Pontificis vera est et infallibilis. Perinde est scilicet ac recurrere ad iudicium Petri quod erat certe infallibile.

B) Certum est creditum esse antiquitus quod sententiâ latâ a Romano Pontifice in causa fidei etiam citra oecumenicum Concilium, causa finita esset. Sane cum Antiochiae controversia fidei exstisset quoad divinitatem Spiritus S., « quae controversia cum contendendi studio, ut credibile est, in dies magis magisque cresceret, Episcopus Romanus (Damasus) de ea re certior factus scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut una cum Sacerdotibus et Episcopis Occidentis Trinitatem et consubstantialem esse et gloriae aequalem existimarent. Quo facto, *utpote controversia iudicio Romanae Ecclesiae terminata*, singuli quiescere, eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur»: inquit Sozomenus L. VI, c. 22. Arbitrari non licet Sozomenum in eadem periodo sibi contradicere velle: asserit absolute controversiam fuisse iudicio Romanae Ecclesiae terminatam, idque creditum in Oriente, haec enim est ratio cur singuli quieverint: cur ergo dixit quod quaestio finem accepisse videbatur? Scilicet quia haeretici definitionibus Ecclesiae non solent acquiescere, quemadmodum non acquieverunt Ariani definitioni Nicaenae, sed quaestiones adhuc agitare; hinc certum non erat quod adversarii nihil amplius molituri, nullasque turbas seu quaestiones excitaturi essent contra doctrinam catholicam a Damaso promulgatam: sperabatur autem ratione supremae auctoritatis Romani Pontificis: atque id est quod ait Sozomenus: *quaestio finem accepisse videbatur*. Augustinus pariter Serm. CXXXI (qui secundus fuisse perhibetur post allatas decretales litteras Innocentii I in Africam) ait: « Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite. Iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: *causa finita est*: utinam aliquando finiatur error ». Et contra duas epist. Pelagianorum L. II, c. 3. ait « litteris beatae memoriae Papae Innocentii de hac re dubitationem totam esse sublatam ». Hinc Prosper (adv. Collat. c. 21.): « firmum fundamentum stare » ait contra eam haeresim, quia peremptorie damnata est: exponens vero huiusmodi firmum fundamentum, sive referens eos a quibus profligata est, mentionem facit duorum Pontificum, qui absque ope Concilii oecumenici eam interemerunt, ipsiusque Pelagii qui in se sententiam dixit, addens auctoritate alius Pontificis iterum in Synodo ephesina prostratos fuisse Pelagianos: « Tunc istorum machinae fractae sunt... quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris capita *apostolico mucrone percussit*: quando Pelagium ad proferendum in se suosque sententiam, Palaestinarum Episcoporum Synodus

coarctavit: quando Conciliorum Africanorum decretis *beatae recordationis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit*, et ad impiorum detruncationem *gladio Petri dextras omnium armavit antistitum...* quando (venerabilis memoriae Pontifex Caelestinus) Cyrillo Alexandrinae Urbis antistiti gloriosissimo fidei catholicae defensori, ad exsecandam Nestorianam impietatem *Apostolico auxiliatus est gladio*, quo etiam Pelagiani, dum cognatis confoederantur erroribus, *iterum prosternerentur* ». Audis antistites omnes non gladio suo sed gladio Petri armatos profligasse haeresim, h. e. magisterio Romanae Cathedrae derivato in ceteros Episcopos sibi consentientes haeresim esse prostratam? Ex verbis Prospero de decreto Zosimi intelligere licet verba Marii Mercatoris (in *Commonit. super nomine Caelestii etc.*) dicentis per epistolam Zosimi, quae tractoria vocatur, Caelestium Pelagiumque damnatos fuisse, « quae et Constantinopolim et per totum orbem missa, *subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata* ». Non enim hic fuit consensus vim intrinsicam addens decreto Zosimi; nam e contrario Zosimus armavit gladio Petri dexteris omnium antistitum, ita ut gladio Petri, qui est gladius Romani Pontificis, haeresis precepta fuerit, et in accedente iudicio authentico Episcoporum, vis preceptiva gladii seu auctoritatis Petri exerta sit. Hinc inter interrogationes circa doctrinam necessario credendam propositas a Clemente VI Ecclesiae Armenorum ut in unitate esse possent cum Ecclesia Romana, haec est tertia decima (Oderic. Raynaldi ann. 1351, n. 3): « Si credidisti et adhuc credis (alloquitur *Catholicum*) solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum ». Iam vero si sententiam proferente Romano Pontifice, statim *controversia terminata, causa finita, tota dubitatio sublata* dicebatur, licet nulla Synodi oecumenici sententia intercesserit; ergo Romanus Pontifex ex cathedra loquens infallibilis ex se habebatur: non nisi enim infallibili sententia potest causa fidei finiri, omnisque de ea dubitatio tolli. Argumenta quibus vim quidam infringere conantur auctoritatis allatae Augustini solvemus in seqq. cum difficultates historicas expediemus.

C) Certum est, ut quis ab omnibus ut orthodoxus haberetur fuisse satis quod eius fides a Romano Pontifice probaretur. Huius communis et universalis persuasionis testis est nobis illustrissimus Doctor et Martyr Maximus in epistola ad Petrum de Pyro Constantinopolitano inquit: « Itaque si vult haereticus non esse, neque audire, non isti aut illi satisfaciat, ... festinet prae omnibus Sedi Ro-

manae satisfacere. *Hac enim satisfacta, communiter ubique omnium hunc et orthodoxum praedicabunt*. Nam frustra solum loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat Sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum Papam idest Apostolicam Sedem: quae ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed et ab omnibus Synodis secundum sacros canones, et universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi ». Quibus verbis et ratio redditur illius communis et universalis persuasionis, quia nempe Romanus Pontifex imperium habet auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi in omnibus et per omnia in universa Ecclesia. Atqui 1) fieri nequit ut quis habeatur orthodoxus communiter ubique ab omnibus eo quod satisfecerit Apostolicam Sedi nisi communiter ubique et ab omnibus credatur Apostolicam Sedem infallibilem esse; quod enim communiter, ubique et ab omnibus h. e. ab universa Ecclesia ut orthodoxum habetur, illud est certe et infallibiliter orthodoxum: cum ergo dicitur eam doctrinam ut orthodoxam haberi ab universa Ecclesia, quae probetur Summo Pontifici, intelligendum est de doctrina infallibiliter orthodoxa. Porro si ratio cur aliqua doctrina ab universa Ecclesia ut orthodoxa habeatur, haec est quia nempe ea probatur Romano Pontifici, necesse est ut auctoritas Romani Pontificis docendi probandique doctrinam censeatur ab universa Ecclesia infallibilis; nequit enim ratio minor esse rationato suo. Ergo in ea communi et universali persuasione Ecclesiae, cuius testis est S. Maximus, continetur communis et universalis fides Ecclesiae de infallibili magisterio Romani Pontificis. Et quidem de magisterio infallibili per se; non enim necesse est aliis quoque Ecclesiis satisfacere, sed sufficit satisfacere Ecclesiae Romanae, et hoc ipso quis orthodoxus ab omnibus habetur: ergo citra consensum ceterorum Episcoporum Romanus Pontifex infallibilis habetur. Quod et persuadet ratio allata a S. Maximo: suprema nempe potestas ligandi et solvendi facta Romano Pontifici, in qua continetur supremum et universale magisterium quod universa Ecclesia sequi debet: huiusmodi autem magisterium est necessario infallibile per se.

Maximi sententiam iam praecipue occupaverat Gregorius Nazianzenus. Epistola enim 1^a ad Cleodionem loquens de Apolinarii sequacibus ait n. 2^o: « Ad quam indignitatem illud accedit quod ab occidentali Synodo sese, ut audio, susceptos esse aiunt, a quo prius fuerant condemnati, ut cuius est exploratum (Ex quo liquet eandem fuisse specie synodum: constat autem illos a Damaso in Romana synodo fuisse damnatos; sermo est ergo de synodo romana). Ac quidem si vel nunc vel antea suscepti sunt qui Apolinarii placita sectantur, hoc

ostendant et nos acquiescemus. Perspicuum est enim eos ut rectae doctrinae assentientes susceptos fuisse; nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt ».

D) Certum est credidisse Ecclesiam universam posse a quavis sententia appellari ad iudicium Apostolicae Sedis; ab ea autem appellare, aut de eius disceptare iudicio non licere. Testis huius persuasionis est Gelasius I epist. XIII ad Episc. Dardaniae: « *Cuncta per mundum novit Ecclesia* quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes b. Petri apostoli ius habeat resolvendi; utpote quae de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, *neque cuique de eius liceat iudicare iudicio*: siquidem *ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus* ». Item in Commonitorio ad Faustum: « Nobis apponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod Primae Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones qui *appellationes totius Ecclesiae ad huius Sedis examen voluere deferri*. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam vero ad nullius commeari iudicium, nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non posse dissolvi, cuius potius decreta sequenda mandarunt ». Quod quidem postremum iam Zosimus scribens ad Concilium Cartaginiense (Conc. Tom. II, pag. 1572) testificatus fuerat inquit: « Patrum traditio Apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuit, *ut de eius iudicio disceptare nullus auderet*; idque per canones semper regulasque servavit... Tantum huic Apostolo (Petro) canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinceret: pari potestatis data conditione in eos, qui Sedis hereditatem, ipso annuente, meruissent... Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, *ut nullus de nostra possit retractare sententia*; nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultra litteris referremus »... Ita Ferrandus Diaconus epist. VI ad Pelagium et Anastasium diaconos romanos defendens epistolam Ibae probatam, ut ait, in synodo Chalcedonensi sic arguit n. 6: « Si tunc aliquis accusator epistolae, cuius catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia provocaret, appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret; sed quo iret? aut ubi maiores reperiret iudices in Ecclesia, ante se habens in legatis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente quidquid illa definivit synodus accepit robur invictum? » Appellationi scilicet locus excluditur quia Apostolica Sedes iudicium tulit. Unde n. seq. de auctoritate conciliorum loquens ait: « Universalia concilia, praecipue illa quibus Ec-

clesiae Romanae consensus accessit, secundae auctoritatis locum post canonicos libros tenent ». Pariter Nicolaus I in Concil. Romano an. 863 c. V statuit: « Si quis *dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide*, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum... a Sedis Apostolicae praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit ». Hinc Martinus V in Concilio Constantiensi, teste Gersone qui data opera eam sententiam ausus est confutare, edixit: *In materiis fidei non licere a Romano Pontifice appellare*. Quare provocatio a Romano Pontifice ad futurum Concilium damnata est a Pio II Bulla *Execrabilis*, tanquam *erronea et detestabilis*, diciturque ibidem *abusus execrabilis, et pristinis temporibus inauditus*.

Iam vero 1° cum negatur appellari posse a sententia Romani Pontificis, aut eius iudicia retractari, id intelligendum est quoque de sententiis et iudiciis in causis fidei, a) quia locutiones sunt universales; b) quia par est ratio, auctoritas enim iudicandi in causis fidei est auctoritas clavium, ligandi et solvendi; c) quia intelligendae sunt eae omnes causae comprehensae, in quibus Romanus Pontifex iudicare potest; atqui nemo negabit posse eum iudicare in causis fidei, cum praesertim ad eius iudicium omnes referendae sint (A); d) quia eae diserte significantur a Ferrando, Nicolao, Martino, Pio. 2° Non solum excluditur appellatio ad alium quemcumque Episcopum vel Ecclesiam particularem, sed et ad Synodum universalem: ratio est evidens; nam α) huius rei exceptio nullibi significatur: β) si appellare liceret ad Concilium, verum esset simpliciter licere appellare a sententia Romani Pontificis; ideoque falsa esset simpliciter propositio negans, quae ut vera sit debet esse universaliter vera: cum igitur dicitur non licere appellare a sententia Romani Pontificis, quaecumque appellatio ad quodcumque tribunal in terris excluditur, γ) quia talis appellatio expresse reiicitur a Pio II. Porro sententiae quae in causa appellationis a quavis mundi parte, a quorumlibet iudicio inferiorum, feruntur a Romano Pontifice, non sunt sententiae quae ferri debeant ab ipso cum ceteris Episcopis, sed quae feruntur ab eo prout ab aliis distinguitur, pro sua singulari auctoritate supremi Pastoris et Iudicis; quae proinde sententiae valorem habent a sola auctoritate Primatus propria Romani Pontificis, independenter a consensu ceterorum. De huiusmodi enim sententiis, quae a solo Pontifice (licet in sua Synodo) feruntur, loquitur evidenter Zosimus, ut ex eius verbis liquet, loquitur Gelasius qui epist. XIII citata, subdit verbis recitatis: « sed nec illa praeterimus quod Apostolica Sedes *frequententer, ut dictum est, more maiorum, etiam sine ulla synodo praecedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et da-*